

quam summo Liberatori & Judici datum est omne Judicium. Ex Libra
verò, in quantum domus est Veneris, nihil videtur Christus participare, in
quantum homo, nisi quod in laudem ejus extollantur cantica musicalia, ipsa
namque super Musices organa significationem habet. Est egregium & bel-
lum divinatorem!

§. VI.

Cardinali de Alliaco jungit Ricciolus (u) alium ecclesiasticâ dignitate
eminentem, qui veneno hoc etiam infectus eundem erraverit errorem. Is
est Cardinalis NICOLAUS CUSANUS, qui claruit anno 1440,
tempore Nicolai V & Concilii Basileensis, vir tantæ in Mathematicis erudi-
tionis, ut teste Joh. Fabro Stapulensi (x) Mathematicas disciplinas nemo
profundiùs penetrarit, aut, quæ ante omne ævum latuerunt, maxima sa-
cræ Matheosos mysteria aperuerit. Quibus nitatur Ricciolus rationibus,
quod hunc Cardinalem de Cusa gregi genethliacorum nostrorum annume-
ret, divinare vix possum. Certe in Operibus ejus, quæ Parisiis anno Chri-
sti 1514. ex Officina Ascensiana prodierunt, nullum hujus rei vestigium repe-
rire potui, licet totum opus evolverim, & insuper summo cum studio omnes
materias, ubi commodissime ad hoc argumentum divertere poterat Auctor,
v. gr. *Libros Excitationum, de Conjecturis, de Genesi, Reparationem Calen-
darii, Correctionem Tabularum Alphonsi, &c.* perlegerim. Forsitan autem Se-
ductus est Ricciolus verbis Lucae Gaurici: (y) *Verum enim vero, inquit, Dio-
nysius Abbas Romanus, Petrus de Alliaco, Nicolaus Cusanus, Ecclesie Cardi-
nes doctissimi, & Rogerius Bacchon, Astrologi & Theologi in Christiana religio-
ne approbati, circa hujusmodi negotium subtiliùs philosophantes, NB. loca
Planetarum in Nativitate Servatoris supputarunt, retrocedentes per dies 7.
à Calendis Jani.* Quam meam sententiam insuper corroborat hæc circum-
stantia, quod Ricciolus, præter Nicolaum de Cusa, etiam Rogerium Bac-
chonem, & quidem ex testimonio Gaurici in loco jam citato, adducat, cum
tamen his memoratis verbis nil aliud indiget, quam quod hi doctissimi Viri
loca Planetarum quidem ad tempus Nativitatis Christi supputaverint, at non
eo fine, quo ceteri, qui ex structura & constitutione cœli de Christo judi-
cium tulerunt, sed ut tantummodo ad Epochæ nostræ Christianæ initium lo-
ca Planetarum reducerent, quod & fecerunt Keplerus, Bulialdus, Wingius,
Lansbergius, & reliqui omnes nostri Astronomi, imò Ricciolus ipse in sua
Astronomiâ reformatâ. Viderit ergo Ricciolus, quomodo hanc macu-
lam à Cardinali Cusano rursus abstergat, & ei de hâc re immaculatam resti-
tuat famam.

B 3

§. VII.

(u) *Loc. cit. p. 188.* (x) *Cirante Vosio in discipl. Math. p. 63.* (y) *Quæ habentur
in Calend. Ecclesiast. novo. p. 24. edit. Venet.*